



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

139. De Saracenis hoc tempore Gallias dirè infestantibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

De Saracenis hoc tempore Gallias dirè
infestantibus.

Odem anno vigesimo nono & aliquot sequentibus Saracenorum rabies Pijrenæis montibus erumpens Gallias acerrimè infestavit, non obstante quod à tribus vel quatuor annis ingenti suorum strage per Carolum Martellum essent fusi & in latibula Hispaniæ fugati. Animum illis addidit, ipsorummet Francorum Caroli æmulorum inuitatio & fauor. Numerosa manu, summo impetu, vehemènti furore 1^o. Galliam Narbonensem inuadunt, inde in reliquas Galliarum prouincias processuri. Quas strages in miseros Christianos, in sacra templa, direptiones, incendia, & Sacrilegia, in Sacerdotes cedes, in Sacras Deo Virgines supra nefariè perpetrarint, nemo puto mortalium scriptione, locutioneue digne satis expresserit. Legantur Aimonius qui varios conflictus Caroli contra illos fusè describit: Sigebertus: Annales Pythæani: Rob. Gaguinus in historia Francorum: Sciekius in Originibus Celticis.

Inundantia mala cor Sanctorum virorum Willibrordi Bonifacij &c. pupugisse & ad deprecatorias cælo ablegandas permouisse, haud dubium. Præcinuisse hæc in cælestibus fixa oramata auctor est Beda lib. 5. hist. cap. ultimo, Anno iniquiens Dominicæ incarnationis 729. apparuisse cometas duos circa solem multum intuentibus terrorem incutientes. Vnus quippe solem præcedebat mane orientem,

tem, alter Vespere sequebatur solem occidentem, quasi Orienti simul & Occidenti dire cladis praesagi: vel certe vnus diei, alter noctis praecurrebat exortum, vt vtroque tempore mala mortalibus imminere signarent. Portabant autem facem ignis contra Aquilonem, quasi ad accendendum accliuem, apparebantque mense Ianuario & duabus fermè Septimanis permanebant. Quo tempore grauiissima Saracenorum lues Gallias misera caede vastabat.

Nihilominus Carolus animo minime deiectus, sed contra altius erectus, aduocatus diuinis ac humanis auxilijs, nunc ancipiti, pluries 2^a. fortuna hostes superauit, donec tandem diuinæ curâ prouidentiae Gallias misericorditer respiciēte, plena potitus victoria in Hispanica Claustra Galliam numquam repetituros fugere compulit. Habes hæc summatim per annos digesta apud Sigebertum.

Lucratæ sunt hos triumphos SS. Virorum, quibus ditiones Karolo subiectæ fulgebant, deprecationes; & ipsa Caroli egregia in viris Apostolicis fouendis, monasterijs erigendis, dotandis, defendendis, pietas, à duobus Pontificibus Gregorio secundo & tertio laudata: & quod in Principe magni est, obseruantia erga sedem Apostolicam, qua non minus quam prædecessores Pipini, quam Successores Pipinus Rex, Carolus Magnus, Ludouicus Rex, enituit. Horum Principum studium erga Petri Cathedrâ, quam in terris fundauit, sibi gratissimum esse Deus multis fauoribus testimonium dedit, præter multiplices victorias eorum Dominia latissime propagando, alienorum & abalienatorum minuendo. Quo tempore Hispania à veneratione Apostolicæ sedis desciscens Saracenorum duro

& ignominioso iugo devicta premitur, eodem Gallia, Germania, & Austrasia eiusdem studiosissimæ ab irruptionibus eorundem aliorumque Barbarorum gloriosè liberantur. Lege hic Baronium to. 8. ad annum 713. Videmus eodem tempore magno fragore maxima ex parte esse collapsum imperium Orientis dum Heraclius descivit ob hæresim à communicatione Apostolicæ sedis. Id ipsum eadem ex causâ Africam esse passam, idem superius demonstrat Baronius. Tanti Deus facit cultum Apostolicæ Cathedræ. Eius tenacissimus fuit S. Willibrordus eiusque discipuli: cum haud dubie principibus Pipinis, Carolis, à quibus libenter audiebantur, instillarunt, confirmarunt & auxerunt. ipse Christus sub Romana Monarchia ac professione nasci voluit, ut in ipso statim ortu Romanæ Ecclesiæ fidem ac professionem extolleret; Christianosque omnes Romano Pontifici obedientiam profiteri debere demonstraret. Vide Orosi, lib. 6. cap. vi. de vero Christiano.

Yy y

DISSERT.